

*Extraditoria fuisse.* VI  
IMMANUEL!  
**DISQVISITIO THEOLOGICA,**

*De*  
**EMPHATICA VOCE**  
**E M U N D A T :**

**Auxilio ejusdem JESU CHRISTI**  
**FILIJ DEI MUNDATORIS nostri,**

*In Regia Universitate Aboënsi,*  
**Consensu Rev. Fac. Theologicæ,**  
*Pro Stipendiariis examinanda,*

**P R A E S I D E**

**E NEVALDO SVENONIO,**

**Q. G. A. SS. Theologie Doct. Professo-  
re Primario, nec non p. t. Alumna.  
Regiorum Inspectore.**

**R E S P O N D E N T E**

**Sacrae Regiae Maj. Stipendiario  
SVENONE N. Hööf/ Smol.**

*Ad diem 7 Junij Anno Christi M. DC. LXXXII.*

---

**Excusa ABOÆ à Regiae Academiæ Typogr.  
JOHANNE L. WALLIO.**

*Mon. Magne Colliander*

Pl. Reverendo & Praeclarissimo Viro,

**DN. M.PETROLAURBECCHIO**

Regiæ Acad. Aboënsis Poësios Profes-  
sori longè celeberrimo, Eccl. quæ in Eundo  
colligitur Past. meritissimo; Nutritio meo be-  
nignissimo, Præceptor & Mecœnati, humil-  
limo animi obsequio, æternum suspi-  
ciendo.

Reverendo & Clarissimo Viro,

**DN. M.ANDREAEH. PRYS**

Pastori Kimithoënsi vigilantissimo, Fautori &  
Promotori, jugi animi observantia nun-  
quam non devenerando.

**NEC NON**

Prudentiâ & integritate spectatissimis

**DN. NICOLAO MALLENIO**

Redituum Classis Regiæ, per totum littora-  
lem tractum Finl. Inspector prudentissimo,  
Fautori multis nominibus observando.

**DN. OLAO KRUSELL / BARONATUS**

Kimithoënsis Prætori fideliss. & spectatissi-  
mo, fautori & benefactori indesinenter  
colendo.

**DN. BARTHOLO JØRANSON /**

Curiæ Aboënsis Senatori dexterimo, fau-  
tori multum honorando.

**DN. CAROLOO HANNING / GRAMA-**

tophylacii Aboënsis scribæ solertissimo,  
fautori & amico perdilecto.

**I**ohannes Theologus, Mecœnates & Fau-  
tores optimi, alicubi inquit: vidi exeu-  
tem equum rufum, & qui sedebat super  
illum, datum erat ei, ut sumeret pacem  
de terra, & datus est ei gladius magnus.  
Nimis abundè hoc, proh dolor! impletum esse  
videt, totus circa hanc mundi vesperam, eru-  
ditorum chorus. *Vaferrimus enim hostis ille*  
*Satan tyrannos in civitatem Ecclesiæ dolosè sub-*  
*ornat, qui necem Christianorum spirant, san-*  
*guinem sitiunt, scelus anhelant, pestemq; iisdem*  
*moliuntur.* Hi præfervidi & imperiosi Ari-  
starchi, ex fontibus Israëlis, se ad satietatem  
spiritus bibisse autumant; ideoque eis palma-  
rium est, Mysteria religionis, & fidei articulos  
legibus humanae rationis aptare, simplices pi-  
scatores Apostolos ad Aristotelis, Scotti, Thomæ  
& id genus contradictorii regni Magistro-  
rum Scholas deducere: Hinc Pertinax, illa  
phalanx, ad rationis sue dictamen, in varia  
prolabitur gloria divina blasphemias & scan-  
dala, quorum hoc non minimum censendum,  
dum photiniani cum Socinianis aliisque, Chri-  
sti pro peccatis satisfactionem, non tantum an-  
nihilare verum pernegare satagunt. His iam  
obviam eundo, & os obturando peculiarem

tractatum adornat Reverendissimus in hoc  
Atheneo primarius Professor in Christo pater,  
Et preceptor colendissimus, Quo validissime  
evincit, Christum Deum Dominum, sanguine suo  
vero, caelesti, satisfactorio, Miraculoso, sancto  
Et salvifico, ira Dei pro nobis satufecisse, nosque  
omnes a peccatis emundasse. Hoc Argumentum,  
Promotores et Fautores optimi, mea qua-  
licunque Minerva defendendum elegi, quamvis  
minus diffitear, hujus Materiei sublimitatem,  
ingeniali mei vires, infinitis perasanguis su-  
perare; Tamen cum non propriæ laudis au-  
cupande, sed unice Divina gloria vindicande  
gratia, munus hocce suscepimus, opem Divi-  
nam in eodem obeundo indubitate mibi polli-  
cior. Quod itaque in Theologia tyrocinium,  
vestris nominibus venio inscriptum atque dica-  
tum; vestra licet beneficia in me collata innu-  
mera, retributiones exegerint equidem majo-  
res: sed cum novercans illa fortuna mibi alias  
vobis gratificandi preciderit vias, spero immo  
confido, vos chartaceum hocce munsculum, seve-  
nâ fronte accepuros, et ad montium Seneca, non  
donum, sed animum dantis attenturos. Valete

&  
uti Coepistis favete  
Humillimo Et officios:  
S. N. Hobbe

## EMUNDAT.

Disp.

v.

g. 1.

Resp.

SVENO-

NE N.

Wex.

Smol.

**S**umma hujus Disquisitio-  
nis Tribus membris ex-Höft/  
tantioribus absolvitur, quo-  
rum 1. *Actus* exhibebit. ii. *Syno-* e Aboe-  
*nyma* proponet iii. *Causas* repræ-  
fetabit, Epitheta, Qualitates & Ef-  
fectus pretiosi Sanguinis, quippè qui  
est a. *Verus* & *Naturalis*. β. *Cœle-*  
*stis*. γ. *Frasernus*. δ. *Satisfactorius*,  
ε. *Miraculosus*. ζ. *Sanctus*. η. *Sal-*  
*vifices*: de quibus singulis Συρ-  
πηῶς.

g. 2. i. *Actus* quod attinet, verbum  
*Emundare* duo cum primis complectitur,  
i. Pretiosissimum λύτρον Gallicè Rancon:  
unde Suet. Ranzion/ quod est pretiū pro  
redimendo captivo pensum, adeoq; Sa-  
tisfactionem plenariam Christi pro toto  
Mūdo, non in generibus singulorum

E

se.

solū, sed & singulis generum considerato  
præstitam, Matth. 20:28. 1. Tim. 2:6. Cont.  
Calv. 11. Ejusdem Applicationem, quæ in  
gratuitâ Remissione peccatorū consistit  
Heb. 9:22. Eph. 1:7. Col. 1:14.

§. 3. II. Συνώνυμα verbi *Emundare*  
sunt illa, cùm Deus dicitur nostra de-  
licta *Auferre*, Exod. 34:7. Esa. 27:9. I-  
tem, *Delere*, Psal. 51:11. Esa. 43:25. *Deal-  
bare* Esa. 1:18. *In profundum maris projicere*  
Mich. 7:19. *Devolvere peccata in Messiam*,  
Esa. 53:6. *Tollere peccatum Mundi* Joh. 1:  
29. *Obliterare Chirographum nostrum*.  
Col. 2:14.

§. 4. III. Epitheta Sanguinis pretiosi  
sunt seqq. sc. quod sit 1. *Verus ac Naturalis  
Sanguis*, qui ita à Christo describitur,  
quod erat effundendus atquè revera  
*effusus sit in Remissionem peccatorum* Matt.  
26:28. Marc. 14:24. quemadmodum i-  
psa S. Cœnæ institutio sonat. item  
Ebr. 2:14. *Sicut pueri participant de carne  
& sanguine; & ipse similiter eorundem par-  
ticipes factus est.* Utquè Sacerdotes V. T.  
verum sanguinem taurorum, capro-  
rum

rum ac vitulorum obtulerunt in sacri-  
ficiis; ita noster in N. T. summus pon-  
tifex suum verum ac naturalem san-  
guinem in arâ crucis & alias pro nobis  
effudit, Ebr. 9: 12, *Negat per sanguinem  
hircorum ac vitulorum, sed per proprium  
sanguinem ingressus est semel in sancto, ater-  
nâ redemptione inventâ.* Ubi assertur,  
quod non per alienum sanguinem, sed  
per proprium sanguinem introivit le-  
mel in Sanctuarium, Col. 1:14, *Habemus  
redemptionem per sanguinem ipsius, nempe  
Remissionem peccatorum.* Eph. 1:7. Rom.  
3: 24. 25. &c.

§. 5. Hæc doctrina de veritate  
sanguinis Christi necessariò defendenda  
est, cum adversus Schwenfeldianos, Wei-  
gelianos, Anabaptistas, Fratres Roseæ Crucis,  
Auricoquos, aliosque qui Christo affin-  
ixerunt corpus astrale aut Phantasticum,  
tanquam ex multis essentiis distillatum;  
sed & nonnullos patres, qui ex sim-  
plicitate & timore, tempore Arianorum  
aliorumque hereticorum, qui Deita-  
tem Christi cœperunt oppugnare etiam

ideò, quia anxietatem, dolorem, sanguinis effusionem ac sudorem, ipsamq; mortem passus sit: ne illis succumberent nimiumq; etiam cogeretur concedere, ab Evangelicæ historiæ suis exemplari- bus dicta nonnulla de sudore sanguine Christi & similibus tractantia, expungi toleraverint; quos tamen D. Hieronymus Lib. 2: *Contra Pelagianos* modestè excusat.

§. 6.ii. *Cœlestis Sangvū*: Hoc titulo dignus est Christi sanguis, non quod immediatè cœlitus depluerit, aut artificiose de cœlo fuerit Christi corpori impressus; sed quia sit sanguis ejus qui Dominus de cœlo est 1. Cor. 15: 47. & ut h. I. ait apostolus: *Sangvis Filii Dei*, de quo immediatè antea scripsit: *Deus est Lux, siquid ambulemus in luce, habemus cum eo communionē*. Idem est de quo scribit de judæis S. Petrus Act. 3: 14. *Authorē vita interfecisti*. Et S. Paulus 1 Cor. 2: 8. *Dominum gloria crucifixerunt*. Conf. Matth. 21: 38. 39. 1. Cor. 1. 23.

§. 7. Quocircà diligentè accuratoq; Studio cavenda erit *Calvinianorum* Αλ- λοιωσις, seu Zwingiana trajectura, quā san-

Sangvinis Jesu Christi Filii Dei vim atque virtutem, Soli naturæ divinæ transcribunt attribuuntq;. Est quidem, ut loquar, natura divina, fons unde vis sangvinis Christi meritoria ebullit, natura tñ. humana non est mera, terrena, vacuaque aut inanis, ut arundo, per quam virtus illa infinita fluit, sed ex hac quoq; ipsâ, ut ita dicam, coebullit ceu ex uno fonte simul. Unde Anno Christi 431. conclusū fuit Quodvmaadōv in Concilio Ephesino Can. 4. Quicunq; ausus fuerit Testimonia sacra Scriptura, qua de Christo ejusque merito agunt, ita explicare atque interpretari, quasi ibidem de duarum distinctarum personarum actionibus tractaretur, anathema sit.

§. 8. III. Fraternus sanguis: Hac fraternitas nostra cum Christo consideranda est. cum respectu τῆς σαρκὸς ὥροστια nobiscum; sed vel maximè quoad professionem Eidei Marc. 3:34-35 de utraque elegantē scribit D. Augustinus in Manu-ali c. 35: his verbis: In Christo Iesu unius- cuiusque nostrum portio. Caro & sanguis noster est: ubi igitur portio mea regnat, ibi

Et me regnaturum confido: ubi sanguis meus glorificatur, ibi et me gloriosum fore confido: nolite timere caro et sanguis, quia fratrem vestrum habetis in caelis. Conf. Rom. 8:29. Primogenitus inter multos Fratres Psal. 22: 23. Heb. 2: 11. seqq. Non erubescit frares illos vocare etc. Ab hoc fidelissimo Fratre ut olim ita etiamnum fraternali nobis pollicemur benevolentiam, amorem & beneficentiam: is enim est de quo loquuntur Acta apostolica Act. 10: 38. Scitis Iesum illum Nazarenum, quando unxerit eum Deus Spiritu S. et virtute, qui pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo.

§. 9. Hæc dicta sunt secundum Christi humanitatem, quam immediate noster Frater est; alias divinae participes Naturæ facti sumus 2. Pet. 1: 4. a. inserti capiti Christo ceu corpus ejus Mysticum, qui propterea incarnatus est, ut nobiscum in se divinam comunicaret naturam, iteq; cum per regenerationem tum adoptionem, ac mysticam unionem inhabitationemq; Job. 1: 13. Eph. 5: 30. c. 3: 17.

B. Tem-

β. Templa Dei per inhabitacionem Sp.  
 S. extructi i. Cor. 3:16. c. 6.17.19. restau-  
 ratâ in nobis imagine Dei per regenera-  
 tionē & renovationē Eph. 4:23. Col. 3:10.  
 γ. Vero corpore ac sanguine Christi in S.  
 Coenâ cibati potatiq; i. Cor. 10:16. δ. Tan-  
 dem erimus plenario divinæ confor-  
 tes naturæ, dum in futurâ vita Deum  
 videbimus de facie ad faciem i. Cor 13:  
 12. atque Deo similes, visuri eundem in  
 æternum de facie ad faciem, i. Job. 3.  
 2. ε. Intereā, quisquis confessus fuerit quod  
 Jesus sit Christus Filius Dei, Deus in eo ma-  
 net & ipse in Deo i. Job. 4:15. id est, non so-  
 lùm qui Ebionem & Cerinthum aliosq; hæ-  
 reticos oppugnantes Deitatem Filii Dei  
 aut inficiantes alios fidei fundamentales  
 articulos, refutant ac abominantur; sed  
 & alias veræ ac orthodoxæ religioni  
 seu jurati confessores usque in agonem  
 sincerè ac constantè addicti sunt: ta-  
 les enim dicuntur amare Dñum.  
 v. 16. Deus Charitas est, & qui manet  
 in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo.

§. 10. Patrum de hoc dicto sequens  
fuit judicium: D. Ambrosius Lib. v. de Fi-  
de c. 5. scribit: *Christus nostra fragili-  
tatis in carne se præbuit consorte, ut nos  
in virtute suâ divina faceret naturæ  
consortes.* Athanasius Orat. v. cont.  
Arianos ait; Deus factus est homo, ut  
nos in seipso Deificaret, Ad hæc B. Job.  
Husus in i. Joh. 3. ita alludit: *Tunc  
erimus Dñs, non participatione & con-  
sortio æqualitatis, sed participatione  
per gratiam in hoc, per gloriam in fu-  
turo seculo.*

§. II. IV. *Satisfactorius Sanguis, seu so-  
lutorius pro omnib. peccatis nostris, quia  
emundat nos ab omnibus peccatis.* Nam  
sicut vita est in sanguine Lev. 17: ii. Ita  
etiam qui sanguinem pro alio effundit,  
is quoque ponit animam ac moritur  
pro illo. Quantò magis Salvator no-  
ster Jesus, pretium pro peccatis nostris  
exposuit effuso suo sanguine, sufficien-  
tissimum! Quippe, qui eodem nos  
rede-

redemit I., pet. 1:18. 19. Scientes quod  
non corruptilibus auro vel argento  
redempti esis Ec. sed preioso san-  
guine Christi, velut agni immaculati ac  
incontaminati. Apoc. 5:9. Quoniam  
occisus es, Es redemisti nos per san-  
guinem tuum. Conf. 1. Cor. 6:19.

c. 7:23. τιμῆς ἀγοράθηται, id est, Pretio  
dignissimo empti esis. Hanc virtutem satis-  
factoriam obtinet ideo, quia est sanguis  
ipsius Dei, Act. 20:28. Deus acquisivit  
sibi Ecclesiam suo sanguine. Unde Divus  
Anshelopus Archiepiscopus Cantuoriensis in  
Anglia Tom. III. Lib. II. de Cur Deus ho-  
mo factus? cap. vi. quod satisfactionem  
per quam salvatur homo, non possit  
facere nisi Deus homo, sic declarat:  
*Hoc autem fieri nequit, nisi sit qui  
solvat Deo pro peccato hominis ali-  
quid majus, quam omne quod Deus non  
est. Ita constat: illum quoque qui de  
suo poterit Deo dare aliquid, quod su-*

superat omne quod sub Deo est, maiorem esse necesse est, quam omne quod non est Deus. Nihil autem est, quod super omne sit, quod Deus non est, nisi Deus. Non ergo potest banc satisfactionem facere nisi Deus. Sed nec facere illam debet, nisi Homo, alioquin non satisfacit homo. Si ergo, sicut constat, necesse est, ut de hominibus perficiatur illa superna Civitas: nec hoc esse valet, nisi fiat predicta satisfactione, quam nec potest facere nisi Deus, nec debet nisi homo: necesse est ut eam faciat Deus homo.

§. 12. V. Miraculosus Sangvis: Communis atque vulgaris sangvis inficit, conspurcat maculatque quibus adispergitur objecta sua: hic vero Sangvus Iesu Christi Filij Dei nadjacens et ipsas purgat ac lavat nos. ubi autem, prob Deum immortalem, auditum est, tantæ mirabilitatis οὐεγίδοξος, in toto mundo, per univer-

universa secula, illud quod purum ac  
immaculatum esse debeat, sanguine ab-  
lui posse? quicquid n. alijs sanguine hu-  
mano aspergitur, vocatur impurum:  
quemadmodum de judæorum Sacer-  
dotibus scribitur in Threnis, qui justo-  
rum sanguinem effuderunt c. 4: 14. Va-  
cuarunt cœci in plateis polluti sanguine. De  
hoc vero Iesu sanguine extat, quod nos  
*Emundet*, quicimò majori admirationi  
erit, quod de justorū animabus è magnâ  
tribulatione liberatis inque cœlum por-  
tatis narratur, Apoc. 7: 14. quod ἐλέυκα-  
στα, hoc est, Dealbaverunt stolas suas in  
sanguine agni. Cum tamen albus color, ru-  
bedini sanguinis è diametro opponatur  
*Esa.* 1: 18. Si fuerint peccata omnia rubra q:  
vermiculus, velut lana alba erunt.

§. 13. Quoniam verò omnes facti su-  
mus ut immundus ē q: pannus menstruata,  
universa justitia nostra *Esa.* 64:6. scilicet  
per sordes peccatorum: Audia-  
mus ergò a. verbum Mandati *Esa.* 1: 15.  
16. quia manus vestra plena sunt sanguini-  
bus, Lavemini, mundi estote ēc. ubi rur-  
sus

sus oppositio sit inter sanguinem polluentem & Christi sanguinem emundantem nos, ita abluentem Apoc. 1:5. Deus dilexit nos & lavit nos a peccatis nostris per sanguinem ipsius: 3. Verbum promissionis applicatum 1. Oratione Psal. 51: 9.  
Lava me & nive candidior ero 2. Baptismo, Eph. 5: 26. Semetipsum exposuit pro eis (Ecclesia) ut illam sanctificaret, mundatam lavacro aquae in verbo. 3. Fide Rom. 3: 25. Habemus Redemtionem per sanguinem ejus, nempe remissionem peccatorum. Eph. 1:7. Col. 1:20. 4. S. Cœnæ digna usurpatione, sit enim Jesus Matth. 26:26. Hic est calix N. T. in meo sanguine, qui pro vobis effunditur in Remissionem peccatorum.  
5. Sanctificatione & Renovatione, Heb. 9: 13. 14. Nam si Sanguis taurorum & hircorum & Cinius juvenca aspergens inquinatos sanctificat ad carnis purificationem: Quanso magis sanguis Christi, qui per Spiritum eternum seipsum obtulit immaculatum Deo, purgabit conscientiam vestram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventem.

§. 14. VI. Sanctus Sanguis: quia est sanctificati & uncti Christi Sanguis,  
quem

quem unxit Deus oleo Lætitiae præ confortibus suis, Psal. 45: 8. accepit enim iuxta humanam naturam Spiritum S. sine mensurâ Joh. 3: 34. quippè quia sanctum quod de Mariâ virginie nasceretur, Filius Dei vocatur & simul est Luc. 1: 35. Et enim Hebr. 7: 3. 26. Sancta hostia, pontifex sanctas, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus & sublimior cælius factus, cui non sit quotidiè necesse (quemadmodum illis pontificibus) prius pro propriis peccatis victimas offerre, deinde pro peccatis populi, nam id fecit semel, cum semetipsum obtulit. Blasphema itaque sunt quæ Drentani Calviniani in Syn. Dordrac. ac Jud. de Art. Remonst. scribunt: Fuisse sc. Christum massæ corruptæ adamitica particulam, quippè semen Mulieris, à reliquo tomen perditâ massâ discretum &c. Et porro: Eundem à Deo gratis ad vitam eternam eleatum, non potuisse igitur aliquid apud Deum meyeri: Sed effusionem sanguinis ejus esse quidem acceptam ut solutionem pro peccatis ex gratiâ, non quidem vim habeat à, in & per se &c. Talia periculosa

riculosa àn̄st̄uare quoque invenire est  
in Inst. Calvini Lib. 2:c.17. §. 1. nec non  
penes Pontificios, præsertim Scotias.  
Ait, judicium B. Lutheri nostri de ta-  
lib. tale extat Tom. vi. Jen. Germ. fol.  
22. darumb sind das verleugner und  
abtrünnige Christen / Schänder das  
Leibes und Blutes Christi / die ihr  
eigen Leiden und Blut dem Leiden und  
Blut IEsu an die Seiten setzen: quæ  
quidem directè concernunt Papistas,  
à quo tn. Reatu neque liberari possunt  
plerique Calviniani. Nunc succederet  
attributum Sanguinis Christi, quod sit Ef-  
ficax, cum intrinsecè tum Meritorie, sed  
reservatur hoc disputationi 7.

S. 15. VII. Salvificus seu verè Salu-  
sifer sanguis: Est enim Salvatoris nostri  
Iesu sanguis: Matth. 1: 21. Vocabū nomen  
ejus IEsū, ait angelus Gabriel Iosepho,  
ipse salvabit populum suum à peccatis eorum:  
ubi enim Remissio peccatorum ait Luth.  
in Min. Catech. ibi Salus est & vita  
æterna. Idem est quod Apostolus Joh. in  
allegato Textu inculcat: Sanguis Jesu  
Chri-

Christi Filii Dei EMUNDAT nos ab omni peccato. Huc collimare novimus verba Apostoli Pauli Hebr. 10: 19. 20. 21. 22. 23. Cum igitur Fratres habeamus libertatem adeundi in sancta per sanguinem Iesu, eam viam quam dedicavit nobis recentem ac ventem, per velamentum, hoc est, per carnem suam: (cumque habeamus) sacerdotem magnum praefectum domui Dei: Accedamus cum vero corde in certitudine Fidei, aspersi cordibus a conscientia mala & abluti corpore aqua pura; Teneamus confessionem spei non vacillantem. &c. Hæc purgatio nostri a sordibus peccatorum præfigurata fuit in purificationibus Leviticis & aqua Lustrali super leprosos sparsa in V.T. Lev. 14: 4. seqq. Tunc præcipiet Sacerdos ut tollet is qui mundandus est duas aviculas vivas & mundas, lignum Cedrinum & Coccum bis tintum atq; Hyssopum, & præcipiet sacerdos mactari unam avem super vas fictile, super aquas vivas: aviculam v. vivam accipiet cum ligno cedrino, coco bis tincto & hyssopo, & intinget ea cum ave vivâ in sanguine avis jugulata ad aquas vivas: & asperget super Mundandum a lepra septies, & emunda-

bit

bit eum, dimicet ergo avem vivam in superficiem campi: Ecce mundatus lavabit vestimenta sua Et radet omnes pilos suos, lavabit, inquam, in aquâ ut mundus sit, post hoc veniet in castra Ecce. quam ceremoniam Apostolus ad agnum Dei accommodat Hebr. 13: 12. seqq. quapropter Et Jesus, ut sacrificaret per proprium sanguinem populum, extra portâ pessus est: Examus igitur ad eum extra castra, opprobrium ejus portantes: Non enim habemus hic manentem civitatem sed futuram Inquirimus. Reliquas Ceremonias leviticas latè explicui in tractatu manuscripto super Leviticum.

S. 16. Hinc est quod Chrysostomus in Joh. dicit: Quod veri Christiani reduces ē Sacra Domini mensa, ubi sanguine Jesu ore & cordibus perfusi, ipsis diabolis simus formidabiles. Lætemur ergo ac triumphum canamus in hymno paschali:

Här är det rätta Påskalambi! Om hvilket  
Gudh hade budit/ På Korshet för os offrat fram/  
Öfhyldigt yttre och dödat/ Thes Blodh stencl'es  
på vår Örr/ Och håller Döden vikan för/ Och  
kan förderwaren Skada. Halleluja!  
Ita propter victoriosum sanguinem Christi  
catabimus sine fine, in omnibus plateis Hiero-  
solymorum coelestium, Halleluja!

Tob. 13: 22,

# SVENO ACCIPITER

Per Anagramma,  
CIVIS ET CONE PAR.

Ἐξεργασία.

Accipiter Sacer ales, et es, mīcan-  
dide SVENO,  
CIVIS, CONE domus, PAR sociate  
piz!

L. Mq;

PRÆSIDIS.

E Si sanguis Christi quo nil pretiosius nun-  
quam  
Diluit hic prelio crimina nostra suo  
Hac tibi materias, SVENO sanctissima,  
de qua

Præside SVENONIO differis ore pio:  
Expecta idcirco, cœlestia præmia calis,  
Inter eximios, nomina clara viros.

Amico & commilitoni suo sin-  
cere dilecto, hæc pauca gratu-  
labundus adjecit L. Mq;

Joh. FLACHSENUS,  
Mathm. P. P.

*Hoc felix jubeat Deus ille salutifer orbis,  
Qui facilis praberet quae bona cungis manu!*

Per eximio Dn. Respondenti,

**SVENONI HODÓ / Amico dilecto!**

**M**essiae sanguis, fusus de pectore Christi,  
Christiadum populum mundat de crimi-  
ne fædo.

Differis hoc, Cathedram concordans ore  
polito,

Præside sub Magno, Parnassi montis alumno,  
Quid mercedis habes? Merces tibi maxima  
creseit

Devoti pietas animi, rerumque sacerarum  
Cognitio, quæ nos infert sapientia Cœlo!  
Deniq; summus honos & gloria summa: quid  
ultrà

Expetis? ingentes lætus tibi gratulor ausus,  
Et precor, ut superum favor hæc tua coepia  
secundet!

*Infusata amicitia τεχμήγιον, in pro-  
cinctu itineris in patriam de-  
properavit*

**MAGNUS N. HERNERUS.**

**E**N mirum ! Accipitrem sylvarum  
semper amantem  
Conscendisse foros cathedræ, de fonte  
salubri (scripta  
Mentem monstrasse, ut docto fallacia  
Themate detegeret, manus hæc dum  
sedula volvit.

Sic fiet Charitumque decus Sophiesq;  
corona.

Perge igitur studii, Frater perama-  
bilis, ausu,  
Atque olim Christus tibi reddet digna  
brabæa

MAGNUS M. CHORINUS

---

Vitæ morumque elegantia Viro Juveni  
conspicuo,

DN. SVENONI HÖÖF/ S. R. M. AI.  
Per industrio Disputationem Theolog:egregie  
defendentis; Fratri & amico singulariter  
honorando.

**Q**uid juvat esse pium, quid se quoq;  
dedere Musis!  
Tu Patriota probè nunc specimen  
dederas, Gra-

**Certamē subeas gnaviter in cathedrā!**  
**Pergito Respondens, claris incumbe-**  
**cōptis,**

Præmia virtutis, docta Minerva dabit.  
Comprecor, ut studiis benedicat rite Je-  
hova !

**Ut tibi sit nomen gaudia mille ferens!**

*Fraterno affectu cecinit*

S. R. M. A.

PETRUS ULMERUS Smol.

**N**on facit impuram mentem quod glutie  
oris

Bucca, ast cordis ager prodit abunde  
mala.

Hinc sunt incestus, cædes, furtum, atra libido,  
Concubitus verbi, numinis atque sacri.

*Quæ peccata Deus denunciat igne Gehennæ*

*Plectenda, ulciscens arbiter ipse malos.*

*Nam veniens Christus preioso sanguine mūdae*

*Omnis, qui credunt sordibus usque suis.*

Hœki, hoc exponis lingua & scriptis, per amice:

*Gratulor hos ausus, vela secunda precor!*

Ἄντερεδίως ἐδώκεν

*ERICUS N. OSANDER.*

### *Mexionensis.*